

In ALABAMA, ARKANSAS, INDIAN TERRITORY, OREGON, RHODE ISLAND, VIRGINIA possunt condere testamentum circa immobilia bona omnes qui ætatem vigesimi jam adepti sunt, et circa mobilia omnes qui ætatem decimi octavi anni jam attigerunt.

In COLUMBIA, ILLINOIS, KANSAS, WASHINGTON, WISCONSIN possunt testamentum condere maseuli qui ætatem 21 anni attigerunt, et fœminæ quæ ætatem 18 anni jam adeptæ sunt.

In COLORADO de immobilibus testamentum condere possunt masculi qui ætatem 21 anni jam adepti sunt, et fœ. ^{inæ} quæ ætatem 18 anni jam obtinuerunt; de mobilibus omnes qui ætatem 17 anni jam consequunti sunt.

Omnes autem, qui jam ætatem 18 anni obtinuerunt, possunt condere testamentum in **CALIFORNIA, IDAHO, LOUISIANA, MONTANA, NEVADA, NORTH DAKOTA, SOUTH DAKOT** ^{A. TAH.}

In NEW-YORK testamentum circa immobilia non potest fieri nisi ab iis qui ætatem 21 anni jam adepti sunt; circa mobilia testamentum fieri potest a masculis qui ætatem 18 anni et a fœminis quæ ætatem 16 anni adeptæ sunt.

In FLORIDA et **SOUTH CAROLINA** testamentum circa immobilia possunt condere omnes qui ætatem 21 anni jam adepti sunt; circa mobilia, masculi qui ætatem 14 anni et fœminæ quæ ætatem 12 anni jam attigerunt.

In TENNESSEE testamentum condere possunt masculi qui ætatem 14 anni et fœminæ quæ ætatem 12 anni jam adepti sunt.

Tandem in **MISSOURI** masculi qui jam ætatem 21 anni attigerunt possunt testamentum circa immobilia, et qui ætatem 18 anni jam adepti sunt, possunt per testamentum disponere de bonis mobilibus; fœminæ, quæ jam ætatem 18 anni adeptæ sunt, de omnibus bonis suis per testamentum disponere.¹

Præterea restrictio, qua tenentur uxores, valde imminuta est fere in omnibus Statibus, et nunc possunt per testamentum de bonis suis disponere.²

224b. — Revocatur vero testamentum ex jure americano:
1° si deliberate destruatur per combustionem, dilacerationem aut obliterationem; 2° si novum fiat, quod contineat vel clausulas aperte revocatorias primi vel dispositiones non tantum

1. Hubbell, Legal Directory.

2. Sabetti, n. 512; Tanqueray, II, Supp. p. 25.